DE SECRETIONUM VICARIARUM DIGNITATE IN PULMONUM MORBIS OBSERVATIONES QUAEDAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AUGUSTUS FRIDER. STENZEL,
GLATZENSIS - SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

FR. KRAUSE, MED. ET CHIR. DR.
FR. METZIG, MED. ET CHIR. CAND.
W. BECK, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

VIRO

EXCELLENTISSIMO, GENEROSISSIMO, CELSISSIMO

DE THIELE II.

SUMMO MILITUM DUCI IN BORUSSORUM EXERCITU ETC.

ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE SECUNDA, DE CRUCE FERREA IN CLASSE PRIMA, DE MERITIS, ORDINIS CAESAREO RUTHENICI ST. VLADIMIRI IN CLASSE TERTIA, ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS POLONICI STANISLAI IN CLASSE PRIMA EQUITI AURATO ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMO, QUO PAR EST, CULTU AC

DEVOTIONE

OFFERT

AUCTOR.

Praefatio.

Observationes circa aegrotantium lectulos collectae raro quidem in dissertationibus inauguralibus tradi solent, et huiusmodi specimina, a tironibus plerumque conscripta, ad tractandas res, practicam medicinam spectantes, revera parvi aestimanda videntur; at iudicum aequiorum indulgentiam et suffragia nos, qui absolutis iamiam per lustrum studiis academicis, in nosocomiis et apud milites medici auxiliaris munere functi sumus, eo magis impetraturos speramus, quum medico morbi, de quo agitur, sanandi rationem docere minime adspiremus, sed quid natura nonnunquam in rebellibus morbis et desperatis casibus propria vi et mirifico auxilio valeat, demonstrare tantummodo studeamus.

Atqui naturae conamina nemo medicorum floccipendenda putabit, magis operae pretium nos facturos arbitramur, si sequentes morbi historias sincere absque fuco enarremus, quamsi centenis e libris, oleum et operam perdituri conscribamus, quae sexcenties fortasse ab aliis sint repetita, memores praeterea Horatiani illius:

„Sumite materiam vestris, qui
„scribitis, aequam Viribus.“ —

Primum aliquot morborum historias, nostrae observationi debitas, tradere, deinde, quid de iis nobis videatur, ingenue addere conabimur.

Historia morbi I.

Vidimus ante aliquot annos puellam quandam duodecim circiter annorum, tenerrimam et vix primis pubertatis venturae notis conspicuam, quae sequentia nobis observanda obtulit: Capillis atris, cute alba, molli, tenera, circumscripto genarum rubore, animo mobili, alacri donata fuit. Inde a prima infantia morbi scrofulosi eam vexaverant symptomata, quibus exceptis satis bene valuerat. Duo vero mala, quibus tunc laboravit, ante annum et quod excurrit iamiam orta, non dispari atrocitate etiamnum creverunt. Quorum alterum pectori, alterum coxae dextrae fuit infixum; ac de illo quidem primo loco disseramus.

Tussi correpta fuit initio rara et leni, mox increscente et vehementiore, doloribus periodicis pungentibus pectoris, qui respirationi id impedi-

menti obtulerunt, ut motus corporis validiores ae que ac scalarum adscensus difficiles essent, nec nisi aegerrime perficerentur, imo altior inspiratio omnino prohiberetur. Plerumque sicca fuit tussis, aut sanguinolenta et arenosi aut calcarei quid continentia sputa secesserunt. Febricula simul vexavit aegram vespertinis insultibus, in sudores matutinos desinentibus. Digestionis opus parum labefactum fuit, nihilosecius mira successit macies, animi vero hilaritas et mobilitas integrae manserunt.

Una cum hoc malo alterum in coxa apparuit; dolores periodici et caloris sensus exstiterunt, quibus supervenit claudicatio, crus dextrum paulo longius altero apparuit, plica in natibus obvia dextro in latere profundior fuit, ipsa coxa dextra plenior sinistra. Lento passu increvit malum, perinde ac pectoris affectio. Nam cruris mobilitas magis magisque infracta tandem paene desiit, saevientibus praecipue in genu doloribus. Tussis crebrior et vehementior rediit, dolores pectoris increverunt, sputaque purulenta, sanguinea et ichorosa per tempus aliquod prodierunt. Interea febris hectica, insultibus duplicatis, vix non continua evasit, debilitas corporis et macies eximia ceperunt augmenta, et ab ipsis noctibus salutaris ab-

fuit quies, manentibus integris animi facultatibus et hilaritate. Medicaminibus hoc statu vulgo laudatis sine ullo fructu in usum vocatis mortem imminentem morbo finem esse imposituram suspicari oportuit. Subito vero aliam formam induit morbus: exorta suppuratione in coxa aegrotante ligamentis cartilaginibusque vicinis corrosione solutis osseque ex acetabulo protruso, fistulae nonnullae, copiosum ichorem fundentes, foras proruperunt, nates femorisque carnem excavantes. His symptomatibus, in coxa saevientibus, pulmonibus induciae videbantur, concessae, nam sputa indies imminuebantur tussis disparuit dolores cesserunt, et sine impedimento mox respiratio, ut in sanis, fieri potuit. Phthiseos symptomata, febris nimirum, macies et colliquativae excretiones interim per copiosissimam suppurationem in laeso articulo ortam fovebantur, nam ad genu usque femoris carnes canaliculis saniem fundentibus perviae exstiterunt. Sub phaenomenis circa phthiseos finem quotidie apparentibus hicce processus deleterius tandem mortem induxit, neque unquam respirationis impedimentum recurrit.

Quod in morbi phaenomenis mirifice mutatis restiterat problema, luculentissime patefecit cadaveris inspectio, qua haec se obtulerunt: Aperto

thorace cor et vasa maiora integra apparuerunt, pulmones partim pleurae costali adhaerentes, sed ubique molles, absque tuberculis et infiltratione fuerunt, dissecti vero cavitates nonnullas vacuas, nucis avellanae ad iuglandis magnitudinem aequantes, exhibuerunt, quarum parietes membrana tenerrima obducti fuerunt neque morbosi quid in ambiente parenchymate repertum est; cavitatum plures cum bronchiis commercium aluerunt, puris vero, vel tuberculorum crudorum, ne vestigium quidem exstitit. Ceteris visceribus integritatem referentibus, ad alterius mali examen ventum est. Omnis fere tela cellulosa femoris tumidi et multis ulceribus obtecti ichore referta fuit, inter musculorum interstitia sese sinuarunt canales, e coxa originem ducentes et circa genu patescentes. Ligamenta et cartilagines articuli, cum capitis ossis femoris et acetabuli ossei portione consumta fuerunt ulceratione, totum os femoris vero scabrum, periosteo nudatum et cinerei coloris fuit, novae vero incrustationes osseae diversis in locis iamiam circumdederunt os vitiatum.

Appositis reliquis observationibus, nonnulla de phaenomenorum nexu ratiocinabimur; quare ad secundum casum enarrandum nos accingimus.

Historia morbi II.

Iuvenis viginti duorum annorum, miles, constitutione satis robusta, facie leucophlegmatica pallidaque, exantlati inter primam infantiam morbi scrofulosi aliquot vestigia referens, febre nervosa graviori correptus est, qua pluries per dies vita eius periclitabatur. Saeviente vero hoc mortalium hoste, de pulmonum clade ne minima quidem suspicio emersit; at subito, febre inducias concedente, aeger, qui ex delirio vix mentem recepisset, tussicula et pressionis in pectore sensu vexatus est, quae symptomata mox in dies crescendo funestam revelarunt scenam, etenim tussi per dies noctesque miser angebatur, copiosissima seroso-grumosa et foetentia sputa reddidit, situm in lectulo horizontalem sustinere non potuit, sudores matutini profusi emaciatum aegrum plane exhaurire minabantur; neque de phthisi pulmonum confirmata ulla exstitit dubitatio, ita ut, qui Scyllam vix evitasset in Charybdin incidisse videretur, alteraque vice de eo conclamatum esset. Febris interea nervosa hecticae indolem adepta, horis pomeridianis exacerbationes, matutinis vero, finito sudore, remissiones praestitit. Veruntamen aeger hisce calamitatibus pressus, neque futurae salutis spem, neque

animi hilaritatem abiecit; spes, quod iam videbimus, vana non fuit. Nam quae saepe praeter medici opinionem miracula edit, hoc quoque in casu autocratiam suam mirabilem manifestandi consilium ceperat natura, saneque mirabili ratione aegrum, de quo desperatum fuit, in bonam valetudinem restituit. Ortus est subito in coxae dextrae regione dolor acutus, rheumatici instar, cui supervenit tumor, et totius extremitatis immobilitas, quae initio miseri calamitatibus non parum incrementi adiecerunt. Elapsis aliquot diebus satis alte sub tegumentis partis affectae tactui curatiori puris colluvies sese obtulit, medicusque hoc naturae medicatricis conamen, uti par erat, perita manu fovere haud neglexit. Mox suppuratio in coxae articulo luculentior prodiit, quapropter magna incisione puri patefactus est exitus; ingens eius moles proruit et immisso specillo, quod suspicari oportuit, os non solum carie affectum, sed sinus quoque et canales inter integumenta discurrentes detegebantur. Quotidie interea puris deterioris notae et foetentis portio eximia eliminabatur, et quamvis in pulmonibus eius productio tanta esset, ut superiore corporis parte ad inferius inflexa, fere sponte sua absque tussi ex ore proflueret, tamen aeger, omni dolore liberatus, mox melius habere coeperat, ciborum appetentia

rediit, promptius digessit, febris manifestas remissiones exhibuit, somnusque blandus, eo usque desideratus, per horas saepe incidit. Nova secretio morbosa mox priorem vicit, eamque non impetuose quidem, sed apto certissime tempore ex toto a pulmonibus in coxame vocavit traxitque, quo facto tussis quoque cessit et exiguum tantummodo respirationis altae impedimentum in pectore remansit. Usu medicaminum convenientium externorum prudenti sensim et pedetentim suppuratio in coxa quoque decrevit, ulcusque intra aliquot menses ex toto consanuit. Claudicatio initio superstes conveniente exertitatione et balneorum usu non parum imminuta est, ita ut aeger, qui per annum et quod excurrit in nosocomio moratus erat, ad militiam quidem non amplius satis validus, sed ad domestica negotia bene aptus, familiam suam revisere posset.

Historia morbi III.

Vir robustus, quadragenarius, manu victum conquirens, vitae solutiori et spirituosorum abusui deditus, per plures iam annos ulcere cruris dextri laboravit, quod modo increscens modo decrescens valetudinem eo usque parum turbaverat, atque a causa externa primum originem duxerat. Cum vero ulcus casu quodam maiorem solito magnitu-

nem adeptum esset, maioresque aegro molestias inferret, sanationem eius obtinere studuit, quam in nosocomium receptus, apta chirurgia et conveniente regimine brevi impetravit. At vixdum ulcere cicatricula munito, incognitus eousque hostis novas aegro struxit insidias, quibus propemodum succubuit. Tussis enim vexare incepit, dolores et anxietas pectoris incursarunt, pituitosi et cruenti aliquantum nonnunquam tussiendo secessit, febricula irretitus aeger, quaquaversus in lectulo cubare non potuit, respiratioque alta dolore fuit impedita. Frustra remediorum his in casibus laudatorum caterva in usum vocata est: malum in dies increvit, febris hecticae naturam adscivit, cum tussi continente langiora sputa viridi flavescentia, foetida, ichorosa reiecta sunt, respirationis difficultates aegrum cruciaverunt, sudores matutini corpus ita exhauserunt, ut fere ad ossa nuda redactum videretur. Quis est, qui rebus ita constitutis de aegri salute non desperaverit, quum omnia artis conamina morbi pertinacia elusisset? Nihilosecius natura medicatrix minus exhausta fuit, quam medici prudentia; nam quum conclamatum iamiam de aegro esset, subito cicatricis in crure inflammatio emersit, quae vix orta destructionem cutis, ulcerationem ichorisque copiosi excretionem induxit. Qui a lethalis aquis

proxime abfuerat aeger, novam recuperavit vitae spem, nam una cum cruris ulcere levaminis sensus in pectore increvit, dolor disparuit, tussis comprimi mox coepit et quod eiiciebatur, suspectam mox naturam exuit. Sensim febris cessit, somno placido refocillatus est, qui tot per noctes hoc beneficio caruerat, eodemque modo res eius in melius, quo antea in peius vertebantur. Quamvis humorum non exigua portio per ulcus quotidie secederet, perspicuum tamen corpus et virium et molis cepit augmentum, et post breve tempus, quid ad ossa usque tabuerat, et quem mortis fauces iam tenere videbantur, novo sanitatis flore viguit aeger. Ulcus interea certam magnitudinem adeptum, immutabile perstitit, neque ad eius sanationem impia a medicis tentamina sunt instituta. Recuperatis tandem omnibus corporis viribus, et si ulcus excipias, integra valetudine gaudens, tandem ad opificium suum rediit aeger. Solitam vitam degens, per annum et quod excurrit omnis valetudinis adversae expers restistit. Orto fortuito ulceris incremento, a chirurgis auxilium petiit aeger, sed cicatrice ad certum usque gradum perducta, nova pectoris mala insurrexerunt, quibus perterritus ipse aeger, ut ab omni ulceris imminutione abstineretur, rogabat. Pectoris affectio brevi tempore dis-

paruit, ulcus autem in fonticulum conversum, minores molestias movens, aegri valetudinem in posterum tuebatur.

Historia morbi IV.

Quartam observationem iam enarrandam nobis obtulit vir quadragenarius, militiae per multos iam annos obstrictus, et spirituosorum abusui deditus. Cruris ulcere, sine manifesta causa exorto, per annos iamiam laboraverat, priusquam ut hoc malo nonnunquam ei infesto, liberaretur, chirurgorum implorabat auxilium. Continuata per aliquod tempus curatione externa, haud mediocriter decrevit ulcus, et fortioribus in usum vocatis exsiccantibus tandem cicatrice est munitum, tam aegroto quam chirurgo non parum laetantibus. Sed eheu! ut multa alia, ita et hoc gaudium breve fuit. Nam post hebdomadem circiter, instituto corporis exercitio die brumali frigidissimo, subito anxietatis sensu, pectoris oppressione maxima, horrore, pectoris dolore et magna debilitate corripitur homo. His symptomatibus aequabili vigore per horam et quod excurrit protractis subito sanguinis portio cum stertore in tracheam assurgit et fontis instar ex ore nasoque eructatur, donec exhaustus aeger animi deliquio subigatur. Arcessitus medicus

cura antiphlogistica novum sanguinis profluvium frustra prohibere studet, nam altero die similis irruit insultus, et per integram hebdomadem quotidie sanguinis quantitas, librae pondus saepe excedens, amittitur. Tandem acido sulphurico propinato, nova quidem arcetur accessio, sed respiratio non in integram restititur, tussis remanet, sputa copiosa, pituitoso-sanguinolenta, dolores pungestes pectoris perstant, cubitus ad hoc illudve latus sustineri nequit, febris aegrum corripit, et post dies aliquot nova incursat sanguinis profusio. His symptomatibus in dies adauctis, de aegri salute desperatum est, nam pulmonum substantia adeo videbatur corrupta, ut eius instauratio omni repugnaret probabilitati. Sputa foetentia ichorosa eiecit aeger, febris hectica nunquam eum reliquit, eximia insigniter macies prodiit, neque sudores colliquativi deerant. Quae cum ita essent, sua sponte sese resolvit cicatrix cruris ulceri inducta, accedente larga humorum serosornm male olentium excretione. Ulceris ambitus admodum increvit, sed pectoris morbus eodem gradu decrevit, siquidem sanguinis profusio desiit, sputorum quantitas in dies imminuta est, febris remissiones obtulit et brevi tempore ex toto evanuit, viriumque et carnis instauratio redituram indicavit valetudi-

nem secundam; spes non irrita exstitit, nam si excipias ulcus, mediocris magnitudinis et parumque molestum, optima adhuc sanitate aegrotus fruitur, neqne pectoris affectionis superest vestigium. —

Epicrisis.

Traditis hisce morbi historiis, nonnulla ex iis ratiocinia deducere conabimur. In exemplo primum apposito infaustus exitus per accidens subiit neque minus ac in reliquis casibus derivatione usa est natura, ad pectoris morbum sanandum, quem finem, ut cadaveris inspectio demonstravit, perfectissime assecuta est. Pulmonum ulcera ergo in hisce casibus per derivationem sanabantur, etenim in loco, a primitus affecto longius distante, nova orta est affectio morbosa, novus stimulus, nova secretio humorum, processui morboso tantummodo debitorum. Morbi pulmonum origo autem aliquantum differt, nam in puella simul et ex uno eodemque fonte pectoris et coxae vitia profluxerunt, ex scrofulosa nimirum cachexia. Aequabiliter autem eo usque increverunt, donec alterutrum sibi vindica-

ret principatum, quo irruente in coxam, pulmonum morbus subsedit, nam quidquid morbosi in corpore fuit, ad coxam est derivatum.

Haud absimilis isti alter casus est. Dispositio scrofulosa per infantiam manifesta haud dubie tuberculorum in pulmonibus seminia reliquerat, quippe quae semper fere, ut satis constat, talem originem agnoscunt, quidquid demum neoterici ad probanda contraria jactaverint Diu autem anguis iste latuisset in herba, nisi fortuito aegrotus febre nervosa esset correptus, qua exorta pulmones facillime in perniciem rapi debuerunt; quum, ut nemo medicorum ignorat, secundum vitae leges in morbis universalibus pars aliqua iam labefacta et debilis praecipue periclitetur; proinde totum impetum in respirationis organa effudit morbus, et certissime aegrotum praecipitasset, nisi naturae tam ad conversationem quam ad destructionem aliae patuissent viae. Coxam iterum sibi delegit dextram pro piaculo, prudentius agens quam medici multi, a nobiliore organo ad ignobilius hostem avocando. Neque hic natura praepropere et impetuose res miscuit, sed blande cauteque surgenti Aurorae portas patefecit, quo totius clientis vitam elongaret. Vacuefactis tandem pulmonum cavitatibus, tuberculorum dissolutione formatis, iniectis-

que frenis huic damnosae progeniei, per largam secretionem derivatoriam ad huius fontes exsiccandos cautissime se accinxit natura. Eam vero solam hoc in casu sanationem perfecisse, eo luculentius patet, quod, ut experientia quotidiana docet, sub rerum conditionibus supra descriptis totus medicaminum apparatus in cassum in usum vocari solet. Neque natura multis ad scopum suum consequendum adminiculis indiget, saepissime enim sufficit, si conaminibus eius salutiferis obex non temere obiiciatur.

In reliquis, quorum historiam morbi narravimus, alia est rei ratio, nam primitus et haud dubie mechanica causa in cruribus ulcera nata fuerunt, quae tutoriam quasi virtutem contra alios morbos per multos organismo praebuerant annos, donec irrita per impia chirurgorum tentamina, deleteriam vim in pulmones effunderet natura, qui suppuratione sane ex toto consumti fuissent, nisi tempestive haec in crura esset revocata. Quaeritur autem, quid sit tam efficax in hac secretione derivatoria, num inflammatio et irritatio in altero loco? an humorum eliminatio? Similibus in morbis internis saepe artificialem longeque maiorem frustra instituimus irritationem, neque producta morbosa secretio semper desideriis nostris respon-

det; notum praeterea est, humores peculiares in sanguine non existere, sed organi secretorii virtute ex elementis formari; ergo ichoris in crurum ulceribus larga et foeda secretio minime est partium inquilinarum ex sanguine huc depositio, sed membranae secretoriae, omnia loca suppurantia investientis, productum, cuius natura plerumque a solis localibus conditionibus pendet, nam applicatis remediis localibus aptis foetens ichor saepe brevi tempore in pus optimae notae transmutatur, unde fieri potest, ut ulcera cicatrices inducant corporis valetudini saepe deleterias. Orta vero huius generis secretione in pulmonibus, remediorum applicatio localis satis efficax largienda non est, universalium usus vero nihil emolumenti praestare solet, qua de causa pulmonum ulcera medicorum arte nunquam sanantur. Hunc autem scopum attingere posse naturam, ex narratis historiis abunde patet, et simplicissima sane utitur via, ulcere nimirum cruris, quod plerumque minimi penditur, quamquam certis rerum conditionibus et vitam conservare et extinguere possit. Patet igitur ex his omnibus naturam quidem non semper nos celare sanationis morborum modum, sed rarissime id efficere ut eius indolem augurari possimus.

VITAE CURRICULUM,
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADIECTUM.

Ego, Augustus Fridericus Stenzel, die XVI mensis Decembris A. MDCCC Glatziae, patre Henrico, succenturione emerito, matre Dorothea e gente Gehlis, adhuc vivis, natus et catholicae confessioni addictus sum. Primis litterarum elementis imbutus, Gymnasia, quae Nissae et Oelsii florent, frequentavi.

A. MDCCCXX M. Octobri Berolinum petii, ibique in Alumnorum Instituti medico-chirurgici militaris Friderici Guilelmi numerum receptus, per quatuor annos medicinae et chirurgiae studiis pro viribus incubui, tum per annum integrum munere medici inferioris in nosocomio caritatis functus sum. Per totum studiorum tempus hisce interfui scholis: Psychologiam et Logicen Cel. Wolff, Physicen, Chemiam et Pharmaciam Cel. Turte, Pharmaciam Ill. Hermbstädt, Botanicen et Historiam naturalem Ill. Link mihi tradiderunt. Encyclopaedia medica, Entozoorum historia, Anatomia universa nec non organorum sensuum et Physiologia Ill. Rudolphi, Osteologia, Syndesmologia et Splanchnologia Ill. Knape, Anatomia practica Ill. Rudolphi una cum Ill. Knape me instituerunt. Phy-

siologiam Cel. Eck, Pathologiam generalem et Semioticen Cel. Fr. Hufeland, Materiam medicam Cel. Osann, Pathologiam specialem, Therapiam morborum psychicorum et syphiliticorum Ill. Horn me docuerunt. De generali et speciali Therapia Ill. W. Hufeland et Cel. Fr. Hufeland, de Chirurgia tam generali quam speciali, neque minus de cursu operationum chirurgicarum, nec non cadaverum sectionibus hunc in finem institutis, Generos. de Graefe, Ill. Rust et Ill. Kluge, de formulis medicis conscribendis et de Anthropologia forensi Ill. Knape disserentes audivi. Artis obstetriciae et theoreticae et practicae notitiam, fascias applicandi praecepta et doctrinam de ossibus fractis et luxatis cognoscendis et curandis ab Ill. Kluge accepi. Clinicen medicam ducibus Ill. W. Hufeland, Cel. Neumann, chirurgicam ducibus Generos. de Graefe, Ill. Rust et Ill. Kluge adii.

Mense Octobri MDCCCXXV medici militaris suscepi munus, quo adhuc per fungor.

Iam tentaminibus philosophico nec non medico atque examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis medicinae et chirurgiae honores summi in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In ulceribus syphiliticis curandis localis curatio non sufficit.

II.

Rheumatismus et Arthritis inter se differunt.

III.

Inter amputationis contraindicationes non referenda est febris hectica.

IV.

Trepanatio per se non est operatio periculosa.